

DE PATRIA PHYLARCHI.

SCRIPSIT

STANISLAUS WITKOWSKI.





De patria Phylarchi habemus scriptorum antiquorum testimonia duo. Athenaeus II 58 c appellat eum: Ἀθηναῖος ἢ Ναυκρατίτης. Suidas, qui s. v. Φύλαρχος haec habet: Ἀθηναῖος ἢ Ναυκρατίτης οἱ δὲ Σικυώνιον, ἄλλοι δὲ Αἰγύπτιον ἔγραψαν, in priore parte Athenaeum sequitur, in altera οἱ δὲ Σικυώνιον novum habet; extrema verba ἄλλοι δὲ Αἰγύπτιον idem tradunt quod vox Ναυκρατίτης, i. e. Phylarchum Naucrati oriundum fuisse. Ea, quae apud Suidam nova sunt: οἱ δὲ Σικυώνιον, nullam fidem habent, ut vel ex eo videmus, quod Phylarchus in historiis suis Lacedaemoniorum partes sequitur, Achaeis nequaquam favet. Quod profecto minime fecisset, si Sicyonius fuisset. Sicyon enim inde ab a. 251, ergo eodem ipso tempore, quo Phylarchus historias suas scribebat, Achaeorum causam sequebatur cumque eis foedere erat coniuncta, quantopere vero eorum studiosa fuerit, Sicyonius Aratus docet.¹⁾ Gravius hoc est tamen for-

¹⁾ Sicyonem patriam Phylarchi fuisse credebatur Brückner, Phylarchi historiarum reliquiae (Vratislaviae 1839) p. 6. Brückner putat Phylarchum Sicyone una cum aliis civibus cecidisse urbe illa cum Achaeorum foedere consociata, sive quod nollent Dorienses eisdem cum Achaeis legibus uti sive alia quacumque de causa; unde Athenis refugium eum quaesivisse et, cum haec quoque urbs societati Achaeorum adiuncta esset, Naucraticum se contulisse statuit. Opinionem Brückneri Phylarchum Athenas migravisse ponentis ea, quae apud Polybium de Phylarchi studiis publicis leguntur, plane refellunt. Vidit hoc iam Thoms in dissertatione: De Phylarchi vita et scriptis (Gryphiae 1835), quae mihi tantummodo ex Susemihlii libro *Geschichte der griechischen Litteratur in der Alexandrinerzeit* I 631) innotuit. Thomssii argumentum cum probaret Susemihl (l. l. p. 630), Sicyonem non debuit oppidis adnume-

tasse aliud argumentum, scilicet quod apud Athenaeum nonnisi inter Athenas et Naucraticum optio nobis relinquitur, Sicyon non commemoratur. Reiectis igitur ineptis illis, quae apud Suidam novata videmus, redeamus ad Athenaei testimonium, quod solum consideratione dignum est.

Apud Athenaeum relinquitur nobis optio inter duas urbes, Athenas et Naucraticum. Testimonium hoc viri docti ita inter se conciliare sunt conati, ut in altera urbe Phylarchum esse natum, in altera magnam eum vitae partem egisse colligerent. C. Müller (FHG. I, p. LXXVIII) credit eum natum esse Naucrati et postea Athenas migrasse, eiusque sententiam sequitur Susemihl (l. l.). Cur vero illum, non contrarium ponant viri docti ordinem, ea est causa, quod apud Phylarchum fragmento 40a (Müll.) de Ptolemaeo Philadelpho, Aegyptiorum rege, liberum iudicium profertur, quod vix eum prolaturum fuisse putant, si hospes in Aegypto degisset¹). Hoc Luchtii argumentum (Phylarchi historiarum fragmenta, Lipsiae 1836, quem librum quod mihi inspicere non licuit, doleo) sane luculenter probat neque, quo tempore iudicium hoc de Philadelpho scriptum sit, Phylarchum in Aegypto degisse neque postea in hanc terram venire potuisse.

Iam videamus, quid nos de Athenaei testimonio ipsa Phylarchi fragmenta doceant. Perlustranda nobis erunt eo consilio haec praecipue eius fragmenta, in quibus Aegypti et Athenarum mentio fit. Si enim Phylarchus alteram vitae partem Naucrati, alteram Athenis egit, necesse est eum et Athenas et Aegyptum bene novisse. Quamquam vero nemo affirmabit in fragmentis vestigia notitiae Aegypti et Athenarum necessario occurrere debere, tamen merito exspectabimus, neque de Aegypto neque de Athenis quidquam nos falsi in eis esse inventuros, id genus falsi scilicet, quod auctori terras illas ignotas esse aperte prodat.

Iam si Phylarchi fragmenta accuratius perlustramus, Athenas ei ignotas esse videmus. Quod infra demonstrare studebo.

Apud scholiastam in Sophoclis Oed. Col. 39 Papag. (= Phyl. fr. 76 M.) legimus haec: Φύλαρχος φησι δύο αὐτάς (τάς Εὐμενίδας) εἶναι τὰ τε Ἀθήνησιν ἀγάλματα δύο. Πολέμων δὲ τρεῖς αὐτάς φησι. Duo igitur Phylarchus affirmat: primum duas esse Furias, alterum duo earum simulacra Athenis reperiri. Utrum Phylarchus duas esse Furias apud Athenienses an omnino apud Graecos affir-

rare, quae patriam Phylarchi fuisse credibile est. Aliud argumentum contra Brückneri opinionem ex eis exsistet, quae infra proferam.

¹) Ἐν δὲ τῇ δευτέρᾳ καὶ εἰκοστῇ ὁ Φύλαρχος Πτολεμαῖον φησι τὸν δεύτερον Αἰγύπτου βασιλεύσαντα, πάντων σεμνότατον γεγόμενον τῶν δυναστῶν καὶ παιδείας εἶ τινα καὶ ἄλλον καὶ αὐτὸν ἐπιμεληθέντα, οὕτως ἐξαπατηθῆναι τὴν διάνοιχιν καὶ διαφθαρῆναι ὑπὸ τῆς ἀκαίρου τρυφῆς, ὥστε τὸν πάντα χρόνον ὑπολαβεῖν βιώσεσθαι καὶ λέγειν, ὅτι μόνος εὖροι τὴν ἀθανάσιαν.

maverit, scholiasta non dicit, videtur tamen apud Phylarchum de Athenarum urbe sermo fuisse, ut illa, quae de simulacris sequuntur, docent.

Quod ad numerum Furiarum attinet, inter omnes constat Furias fuisse tres ab Atheniensibus cultas. Hunc earum numerum testatur diserte iam Euripides (Troad. 457: ὡς μίαν τριῶν Ἐρινύν; Orest. 408: ἔδοξ' ἰδεῖν τρεῖς νυκτὶ προσφερεῖς κόρας [verba sunt Orestis], 1650: ἐνθάδε δ' ἔλθων τὴν Ἀθηναίων πόλιν δίκην ὑπόσχεσ αἵματος μητροκτόνου Εὐμενίσσι τρισσαῖς)¹⁾ et, qui eum exprimere solet, Ennius (Alex. fr. 9 Müll.: Lacedaemonia mulier Furiarum una adveniet). Tres Furiae commemorantur a Polemone (l. l.), Apollodoro (I 3 Wagn.: Ἐρινύες ἐγένοντο, Ἀληκτῶ, Τισιφόνῃ, Μέγαιρα), Harpocrate (s. v. Εὐμενίδες· εἰσὶ δὲ Ἀληκτῶ, Μέγαιρα, Τισιφόνῃ), Vergilio (Aen. VI 571 sq.: Tisiphone — vocat agmina saeva sororum; VII 324: luctificam Aleto dirarum ab sede dearum — ciet; 327: odit [sc. eam] et ipse pater Pluton, odere sorores Tartareae monstrum; XII 845 sqq.: Dicuntur geminae pestes cognomine Dirae, quas et Tartaream Nox intempesta Megaeram uno eodemque tulit partu), a Lucano (VI 730). Eundem Furiarum numerum appellat scholiasta Aeschin. I 188 Schultz: οἱ δὲ Ἀρεοπαγῖται τρεῖς πού τοῦ μηνὸς ἡμέρας τὰς φονικὰς δίκας ἐδίκαζον, ἐκ ἅσ τη τῶν Σεῶν μίαν ἡμέραν ἀπονέμοντες. Qui dierum numerus, etiamsi eum ex alia repetamus causa (quod tamen facere nihil nos cogit), aperte docet tres Furias Athenis per saecula publice cultas esse. (Cf. Rohde l. l.; Preller-Robert *Griech. Myth.* I⁴ 837 adn. 1). Tres fuisse Athenis ἱεροποιοὺς ταῖς Σεμναῖς Σεαῖς testatur Demosth. 21, 115. (Cf. Rohde² I 268 adn. 1).

Ea, quae testimoniis in litteris servatis et institutis publicis Athenarum demonstrantur, monumentis quoque fulciri possunt. Quamvis vero monumenta illa maximam partem non ex Attica, sed ex aliis Graeciae regionibus originem ducant, tamen rem nostram eo adminiculantur, quod eundem atque Athenis Furiarum numerum in aliis quoque Graeciae regionibus fuisse cultum ostendunt. Quorum monumentorum nonnulla afferre placet.

Tres Furiae repraesentantur in vasculo picto Pario, quod in urbe Carlsruhe asservatur et a Welckero *Griech. Götterlehre* III 78 laudatur, tum in tribus prostypis votivis Argis repertis (*Ath. Mitth.* IV. 1879. tab. 9 et 10). Tres Furias videmus in sarcophago Barberino Romanae originis, qui in museo Vaticano asservatur (Visconti, *Museo Pio Clem.* V 22 = Baumeister *Denkm.* II. fig. 1312), et in his sarcophagis Romanis ad Orestis fabulam pertinentibus: 1) in sarcophago, qui in Palazzo Giustiniani Romae asservatur (*Galleria Giustiniana* 1631, II. tab. 130 = Robert *Die antiken Sarkophagreliefs* II. tab.

¹⁾ Hunc Furiarum numerum non libidini poetae originem debere optimo iure monuit Rohde *Psyche* ² I. p. 269 adn. 2.

LV 156); 2) in sarcophago prorsus simili, qui in oppido Hispaniae Husillos prope Palenciam sito asservatur (Don Juan de Dios de la Rada y Delgado *Museo Español de antigüedades* I. 1871 tab. 3 = Robert *Sarkophagrel.* II. tab. LV 157 et p. 173 num. 157'); 3) in sarcophago prorsus simili, qui Romae in museo Vaticano (*Galleria dei Candelabri*) asservatur (Winckelmann *Monumenti antichi inediti* 1767 II 148 = Robert *Sarkophagrel.* II. tab. LVI 158). (Cf. praeterea Robert *Sarkophagrel.* II. p. 169 et Preller-Robert I. I. II ⁴ 839 adn. 2). — Idem Furiarum numerus apparet praeterea in amphora quadam Vulcis reperta (*Monum. dell' Inst.* V 56; *Annali dell' Inst.* XXV, 1853, 272), quam citat Welcker I. I.

In vasculo quodam picto Apulo (*Monum. dell' Inst.* IV 48 = Baumeister *Denkm.* II. fig. 1314) apparent tres Furiae ita, ut duae dormientes, tertia e terra emergens repraesentetur.

Hic monendum esse videtur imaginibus, in quibus duas Furias repraesentatas videamus, minime probari, artificem trium dearum numerum repudiavisse. Artifex enim saepissime ex maiore figurarum numero tot sibi repraesentandas eligit, quot ratione artis postulantur. Quo fit, ut haud raro pro triade duae vel etiam una figura repraesentetur. Optime id docet sarcophagus Barberinus, cuius supra mentionem feci. Cum enim in sinistra eius parte tres Furias dormientes videamus, in parte eiusdem imaginis media, ubi alia fabulae pars repraesentatur, duae Furiae Orestis adstant, in dextra denique sarcophagi parte, quae nobis rursus aliam fabulae partem ob oculos ponit, nonnisi una Furia apparet. Quare si in numero Furiarum definiendo monumenta adminicula accimus, illa sunt excludenda, in quibus minor solito numerus Furiarum aliis causis debetur¹⁾.

¹⁾ Quorum monumentorum nonnulla exempli causa nominare placet.

Duas Furias videmus: 1) in vasculo picto Altamurae reperto (*Monum. dell' Inst.* VIII 9 = Baumeister *Denkm.* III. fig. 2042 A), cuius imago cum ex ternis personis constet, Orpheo nonnisi duae Furiae addi potuerunt. (Quantopere his in rebus artis leges valeant, eiusdem imaginis pars sinistra ima docet, ubi unam Furiam Sisypho adstantem vides); 2) in vasculo picto, quod Millin *Peintures de vases* II 68 (= Baumeister *Denkm.* II. fig. 1315) publici iuris fecit; hic altera Furiarum, ut recte docuit Overbeck, Orestem persequitur, altera abiteum accusatura (Baumeister I. I.); 3) congruentiae aequalitatisque ratio valuisse videtur etiam in vasculo picto, quod Rochette *Mon. inéd.* tab. 36 (= Baumeister *Denkm.* II. fig. 1313) vulgavit. — Prorsus incertum est, an pro Furia habenda sit persona, quae 4) in poculo argenteo Antii reperto (Winckelmann *Mon. inéd.* 151 = Baumeister *Denkm.* II. fig. 1316) in media imaginis parte sedens apparet, ita ut diiudicari nequeat, utrum hic duae an una Furia repraesentetur. Simili modo dubitare licet, an in sarcophago, cuius imaginem apud Zoegam *Abhandlungen* I 1 (= Baumeister *Denkm.* II. fig. 920) vides, persona longa veste induta, in qua Baumeister Furiam agnoscit, pro Furia sit habenda, cum et vestem habeat aliam atque altera Furia et attributa alia.

In vasculo picto Canosino, quod Monaci asservatur (Millin *Tombeaux de Canose* tab.

Iam ubi ab Atheniensibus tres Furias cultas esse auctorum testimoniis demonstravimus¹⁾ eundemque numerum in monumentis variis Graeciae regionibus oriundis repraesentari docuimus et institutis Athenarum publicis probari vidimus, quisnam credet Phylarchum Athenis vixisse, qui duas Furias ab Atheniensibus cultas esse contendat?

Sed et id, quod de simulacris Furiarum Phylarchus affirmat, Athenas auctori illi ignotas esse aperte docet. Etenim duo esse dicit Phylarchus dearum illarum simulacra Athenis. Quam opinionem falsi accusavit Polemo (Schol. Soph. Oed. Col. 39: Φύλαρχος φησι δύο αὐτάς εἶναι τὰ τε Ἀθήνησιν ἀγάλματα δύο· Πολέμων δὲ τρεῖς αὐτάς φησι, quae verba iam supra laudavimus. Clem. Alex. Protrept. 47 Dind.: τῶν Σεμνῶν Ἀθήνησιν καλουμένων θεῶν τὰς μὲν δύο Σκόπας ἐποίησεν ἐκ τοῦ καλουμένου λυχνέως λίθου, Κάλαμις²⁾ δὲ τὴν μέσσην αὐταῖν ἱστοροῦντα λέγουσι Πολέμωνα δεικνύναι ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν Πρὸς Τίμαιον³⁾). Idem tradidit schol. Aeschin. I 188 Schultz: τρεῖς ἦσαν, ὧν τὰς μὲν δύο τὰς ἐκατέρωθεν Σκόπας ὁ Πάριος πεποίηκεν ἐκ τῆς λυχνίτου λίθου, τὴν δὲ μέσσην Κάλαμις). Habemus igitur duo testimonia inter se pugnantia: Phylarchus duo simulacra fuisse contendit, Polemo, qui haud multo post Athenarum monumenta suis oculis vidit, tria esse affirmat. Utri habenda est fides?

3. 4 = Baumeister *Denkm.* III. fig. 2042 B in tab. 87 = Roscher *Myth. Lex.* I 1326) et inferos repraesentat, Sisyphe et Herculi singulae Furiae adstant.

Unam Furiam videmus in vasculo quodam picto Tusco (*Arch. Zeit.* 1844 tab. 15 = Baumeister *Denkm.* III. fig. 1879) et in multis aliis monumentis.

¹⁾ De Loeschckio et Toepffero, qui duas Furias Athenis cultas fuisse statuunt, agam infra.

²⁾ Libri manuscripti Κάλως habent, cum tamen praeter fabulosum illum Calon, Daedali filium, nullum alium sculptorem huius nominis noverimus, viri docti diserto scholiastae Aeschinis testimonio nisi, quod mox citabo, Κάλως in Κάλαμις optimo iure mutant. Calamidis fuisse tertium illud Furiae simulacrum fere omnes viri docti post Osannum (*Annali dell' Inst.* 1830 p. 149; cf. Loeschcke p. 25 disputationis, de qua infra sermo erit) consentiunt. Cf. C. O. Müller ad Aesch. Eum. p. 179, Milchhöfer in Baumeist. *Denkm.* I 199, Carolus de Jan ibid. II 773, Collignon *Histoire de la sculpture grecque* II 241, Gardner *A handbook of greek sculpture* (Lond. 1896) p. 235, Preller-Robert *Griech. Myth.* I⁴ 841, alii. Celebri illi Calamidi sive alii cuidam huius nominis sculptori tribuit tertium illud signum a Polemone commemoratum Brunn *Griech. Kunstl.* I² 224. Dindorf, qui in Clementis editione librorum scripturam tuetur, sive auctorem sive librarium in nomine erravisse concedit. Cuius verba haec sunt: «Κάλως si scripsit Clemens, veterem statuarium Κάλων, Daedali filium, a Paus. 1, 21, 4 et 26, 4 memoratum, in mente habens hoc nomen pro Κάλαμις posuit, quod legitur ap. schol. Aeschinis p. 38, 21 merito probatum a viris doctis».

³⁾ Loci aperte corrupti vera scriptura nondum est inventa. Otto Jahn sic eum emendari voluit: «Κάλως δὲ τὴν μέσσην αὐταῖν ἱστοροῦντα ἔχω σοι Πολέμωνα δεικνύναι». In quibus mihi ἔχω σοι δεικνύναι displicet; accedit quod δεῖξαι expectatur. — Alii emendant: ἣν μέσσην αὐταῖν ἱστοροῦνται ἔχουσαι.

Iam vero si reputamus Polemonem esse auctorem diligentissimum et accuratissimum, qui Athenarum monumenta optime noverit¹⁾, contra Phylarchum Athenas vidisse minime esse certum, si reputamus testimonium Polemonis concinnere cum testimoniis scriptorum Atticorum et institutis publicis Atheniensium, ne paulum quidem dubitabimus, quin Polemoni, non Phylarcho fides sit habenda. Fuerunt igitur Athenis ad Areopagum tria Furiarum signa: temporibus Cimonis factum est a Calamide simulacrum unae Furiarum idque longo tempore solum stetit, duo alia postea a Scopam sunt addita. Difficultas, si qua hac in re exstat, facillime tollitur, si Scopam non celeberrimum illum quarti saeculi sculptorem esse ponimus, sed cum Kleinio (*Arch. - epigr. Mitth. aus Österr.-Ung.* IV. 22—25, quem Robert *Griech. Myth.* I⁴ 841 adn. 3 sequitur) avum illius Scopam, qui V. floruit saeculo, esse putamus. Tum assequimur, ut signa eiusdem fere aetatis sint. Sed hoc minime est necessarium et fides Polemonis nequaquam labefactatur, si duo signa illi vetustissimo longiore temporis spatio intermisso addita esse ponimus.

Restat, ut doceamus, quomodo falsa illa Phylarchi sententia orta sit. Quamvis opere Phylarchi deperdito eiusmodi quaestionesolvere difficile sit, tamen coniecturam facere liceat. Fragmenta Phylarchi docent auctorem illum ingentem librorum numerum legisse et excerpisse. Venit ei igitur in manum liber aliquis de sculptoribus agens. In hoc libro inter signa a Scopam facta enumerabantur duo Furiarum simulacra. Phylarchus, qui sive in libro illo Calamidei signi nullam mentionem invenerat sive (quod mihi probabilius esse videtur), si invenit, utpote alio loco insertae oblitus erat (auctores vero suos minime eum acri subtilique iudicio legisse fragmenta luculenter docent), conclusit ex illa Scopae signorum mentione Athenis duas Furias fuisse cultas. Hoc modo explicatur et id, quod de Furiarum signis, et quod de earum cultu Phylarchus scripsit. Falsae illae Phylarchi sententiae refutatae sunt tum a Polemone²⁾.

¹⁾ «Einen der zuverlässigsten — Forscher des ganzen Alterthums» appellat eum Sussemihl (*Gesch. d. gr. Litt. in d. Alexandrinerzeit.* I 672).

²⁾ In eis, quae de signorum numero a Phylarcho et Polemone tradita sunt, nulla discrepantia exstat, si cum C. O. Müllero (ad Aesch. Eum. p. 179) Phylarchum sola Scopae signa respicere ponimus. Attamen hoc parum mihi veri simile esse videtur. Si enim scholiasta haec sola tradidisset: Φύλαρχος φησι τῶν Εὐμενίδων Ἀθήνησιν ἀγάλματα εἶναι δύο, ponere possemus Phylarchi verba de Scopae signis loquentis a scholiasta non recte esse intellecta. Sed scholiastae verba: Φύλαρχος φησι δύο αὐτὰς εἶναι τὰ τε Ἀθήνησιν ἀγάλματα δύο tam diserte testantur Phylarchum non solum de duobus Furiarum signis Athenis exstantibus esse locutum, sed etiam duas omnino deas statuuisse, ut verba eius a scholiasta falso intellecta esse nullo modo credere possimus.

Phylarchi sententia falsissima et procul dubio errore orta defensores invenit Loeschckium (*Die Enneakrunosepisode bei Pausanias*, Progr. Dorpat. 1883, p. 16) et Toepfferum (*Attische Geneal.* p. 171 adn. 3). Loeschcke duas fuisse Furias cultas ex ea re conclu-

Athenas Phylarcho ignotas fuisse aliud quoque fragmentum docet. Apud Photium lex. s. v. legimus haec: Οἰκουρὸν: ὄφιν τὸν τῆς Πολιάδος φύλακα· καὶ Ἡρόδοτος· Φύλαρχος δὲ αὐτοῦ δύο¹⁾. Locum Photii mutilum esse nemo non videt. Restituendis pristinis auctoris verbis inservit Hesychius, ubi s. v. (III 185 Schmidt) haec leguntur: Οἰκουρὸν ὄφιν τὸν τῆς Πολιάδος φύλακα δράκοντα. καὶ οἱ μὲν ἓνα φασίν, οἱ δὲ δύο ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἐρεχθίδος κτλ. Quocumque modo restituemus Photii verba, sive cum Creuzero et C. Müllero (FHG. I. 355) ita: Καὶ Ἡρόδοτος μὲν ἓνα φησὶν ἐν τῷ ἱερῷ, Φύλαρχος δὲ αὐτοῦ δύο, sive alio quocumque modo, hunc eorum sensum esse patet, et apud alios scriptores et Herodotum de uno serpente, templi Minervae custode, sermonem fieri, contra Phylarchum de duobus serpentibus esse locutum. Iam vero hic Phylarchi error vel luculentius, si fieri potest, quam prior eum Athenis non vixisse evincit. Etenim Athenis pueruli noverant in Erechtheo unum deae sacrum serpentem ali. Fere supervacaneum esse videtur in re notissima auctorum testimonia afferre. Herodoti sunt haec (VIII. 41): λέγουσι Ἀθηναῖοι ὄφιν μέγαν φύλακα τῆς ἀκροπόλιος ἐνδιδαιτᾶσθαι ἐν τῷ ἱερῷ· λέγουσί τε ταῦτα καὶ δὴ ὡς ἐόντι ἐπιμήνια ἐπιτελέουσι προτιθέντες. κτλ. Idem tradit Aristophanes Lys. 759: ἐξ οὗ τὸν ὄφιν εἶδον τὸν οἰκουρὸν ποτε. Plut. Them. 10: σημεῖον μὲν λαμβάνων τὸ τοῦ δράκοντος, ὃς ἀφανῆς ἐκείναις ταῖς ἡμέραις ἐκ τοῦ σηκοῦ δοκεῖ γενέσθαι καὶ τὰς κατ' ἡμέραν αὐτῷ προτιθεμένας ἀπαρχὰς εὐρίσκοντες ἀψάστους οἱ ἱερεῖς, ἐξήγγελλον εἰς τοὺς πολλούς, —, ὡς ἀπολέλοιπε τὴν πόλιν ἢ θεός κτλ. — Philostrat. imag. II. 17, 6 Vindob. (= p. 80 Jacobs): καὶ ὁ δράκων δὲ ὁ τῆς Ἀθηναῖας ὁ ἔτι καὶ νῦν ἐν ἀκροπόλει οἰκῶν δοκεῖ μοι τὸν Ἀθηναίων ἀσπάσασθαι δῆμον ἐπὶ τῷ χρυσῷ, ὃν ἐκαῖνοι τέττιγας ταῖς κεφαλαῖς ἐποιοῦντο. — Eustath. ad Odyss. p. 1423, 7: ἐκαῖθεν καὶ οἰκουρὸς δράκων, φύλαξ τῆς Πολιάδος, ἡγουν ἐν τῷ νεῷ τῆς Πολιάδος διαιτῶμενος. Cf. O. Müller De Minerva Poliad. p. 23, Creuzer *Symbolik* II.

sit, quod a Scopa duo tantum dearum signa facta esse dicuntur. Et Loeschke et, qui eum sequitur, Toepffer signum, quod inter duo Scopae signa medium stabat, nulla cum illis ratione coniunctum fuisse affirmant. Cum tamen haec opinio vix conciliari posset cum Clementis et scholiastae Aeschinis verbis, qui Polemone nisi tertium illud signum inter Scopae signa medium fuisse positum narrant, Loeschke coactus erat concedere, iam ante Polemonis tempora triadem in cultum publicum introductam esse. Toepffer, qui hoc concedere noluit, eo adductus est, ut testimonio poetae V. saeculi et testimonio periegetae fide dignissimi praeferret testimonium et posterius et a scriptore parum accurato profectum. Tres enim Furias coli testatur Euripides; ducentis annis post Polemo idem affirmat et tria se vidisse dearum signa dicit; tum, quod maximum est, tres Furias cultas esse instituta Athenarum publica evincunt. Toepffer nihilominus tria illa signa mero casu coniuncta stetisse contendit scriptoremque gravissimum Polemonem triadem dearum inepte finxisse, contra Phylarchum, quem temera iudicia saepissime proferre constat, vera vidisse et rectius iudicavisse statuit.

¹⁾ Ita emendate legitur hic locus apud Photium, ut me benigne docuit G. Wentzel, accuratissima Photii collatione nisus, quam possidet ipse.

727 sqq., 744 (quos laudat C. Müller ad Phyl. fr. 74), Preller-Robert *Griech. Myth.* I⁴ 199 adn. 1.

Oritur nunc quaestio, quomodo Phylarchus ita errare potuerit, ut duos Minervae serpentes in arce ali affirmaret. Quaestio haec non video quo alio modo solvi possit nisi eo, ut a Phylarcho serpentem Minervae cum serpenti-
bus Erichthonii confusum esse dicamus. Nota est scilicet fabula Erichthonio infanti duos serpentes a Minerva custodes esse additos (Eur. Ion 21: κείνω γὰρ [sc. Ἐριχθονίῳ] ἡ Διὸς κόρη φρουρῶ παραζεύξασα φύλακε σώματος δισσὼ δράκοντε; 1427: δράκοντε μαρμαίροντε παγχρύσῳ γένει. — Amelesagoras ap. Antig. Caryst. 12: τὰς δὲ Κέκροπος θυγατέρας τὰς δύο, Ἀγρυλὸν καὶ Πάνδροσον, τὴν κίστην ἀνοίξαι καὶ ἰδεῖν δράκοντας δύο περὶ τὸν Ἐριχθόνιον [Müller FHG. II 22]. Cf. Preller-Robert *Griech. Myth.* I⁴ 199 adn. 1, qui vasculum quoddam pictum [*Ann. dell' Ist.* 1879 tab. F] conferri iubet). Quae confusio eo fuit facilior, quod alii (Apollod. 3, 14) infantem ab uno serpente custoditum esse tradebant, praeterea quod iam inter antiquos fuerunt, qui serpentem, Minervae signo a Phidia additum, Erichthonium esse crederent (Paus. I 24, 7: τὸ δὲ ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς ὀρθὸν ἐστὶν ἐν χιτῶνι ποδήρει καὶ πλησίον τοῦ δόρατος δράκων ἐστίν. εἴη δ' ἂν Ἐριχθόνιος οὗτος ὁ δράκων. Cf. Hygin. astr. 2, 13: anguis autem ad Minervae clipeum confugit et ab ea est educatus.). Cf. Preller-Robert l. l., qui auctores et ipsi de loco Phylarchi, ni fallor, similiter iudicant. Haud alii confusio-
ni originem suam debere videntur duo serpentes Minervae additi, qui in aliquot nummis Atticis (e. g. in nummo, cuius imaginem habes apud Müllerum-Wieselerum *Denkm. d. alt. Kunst* II, tab. 20, 214 c) repraesentantur. (Cf. Preller-Robert l. l., qui errore pro numero Mülleri-Wieseleri 214 c numerum 219 b posuerunt).

Phylarcho urbem Athenarum fuisse ignotam demonstrasse mihi videor duobus erroribus, qui in eius fragmentis occurrunt: falsa narratione de duarum Furiarum cultu duobusque earum signis Athenis exstantibus, tum de duobus Minervae serpentibus in arce alitis. Sed et aliud argumentum minime favet sententiae Atheniensem fuisse Phylarchum statuenti.

Tempore, quo Phylarchus historias suas scripsit, is fuit rerum publicarum in Graecia status, ut civitates Graecorum in bina, ut ita dicam, castra discederent: Lacedaemonii sub Cleomene rege adversarii exstiterunt Achaeorum, reliquae vero civitates Graecae aliae his, aliae illis favebant. Iam cum Athenae Achaeis amicitia fuerint coniunctae, manifestum est scriptorem Atheniensem res gestas illius aetatis narrantem Achaeorum partes fuisse secuturum, non Lacedaemoniorum. At Phylarchus in historiis suis Achaeorum adversarius existit, Cleomeni et Lacedaemoniis favet. Quae studia in homine Naucratis nihil miri habent, cum Ptolemaeus III. a. 224 annisque proximis Lacedaemoniis subsidio venisse constet (Holm *Griech. Gesch.* IV 304 sqq., Niese *Gesch. d. gr. u. mak. Staaten* II 331 sqq.).

Quae apud Phylarchum de Atheniensibus leguntur, minime benevoli in eos animi signum prae se ferunt. In fr. 28 Athenienses Lemnum incolentes assentatores appellantur (Κόλακας δ' εἶναί φησι Φύλαρχος καὶ τοὺς ἐν Λήμνῳ κατοικοῦντας Ἀθηναίων Χάριν γὰρ ἀποδιδόντες τοῖς Σελεύκου καὶ Ἀντιόχου ἀπογόνους οἱ Λημνῶθεν Ἀθηναῖοι οὐ μόνον ναοὺς κατεσκεύασαν τοῦ Σελεύκου, ἀλλὰ καὶ τοῦ υἱοῦ Ἀντιόχου. Καὶ τὸν ἐπιχεόμενον κύαθον ἐν ταῖς συνουσίαις Σελεύκου Σωτῆρος καλοῦσι. Haec homo Atheniensis profecto nullo pacto scripsisset!

Rationibus, quae protuli, vetari mihi videmur, ne Phylarchum Athenis esse natum educatumve credamus. Eaedem rationes vetant nos statuere eum posteriore vitae tempore Athenas migrasse ibique vitae partem egisse. Falsum est igitur, quod nobis Athenaeus tradidit, Phylarchum esse Atheniensem aut Naucraticum. Atheniensis Phylarchus neque est natus neque in posteriore vita factus. Restat igitur, ut eum Naucraticum esse dicamus.¹⁾ Aegyptiacae Phylarchi originis videtur mihi vestigium quoddam tenue in fragmentis esse servatum. Ea scilicet, quae in fr. 26 de viperis Aegyptiacis traduntur, recedere videntur a reliquis rerum mirabilium apud Phylarchum descriptionibus et ita esse comparata, ut auctorem in Aegypto vixisse indicent. Talia enim, qualia hoc loco de Aegypto narrantur, de nulla alia terra apud Phylarchum leguntur. Describitur viperarum vita tam late et coloribus tam vividis, ut locus ille referre videatur, quae Phylarchus suis oculis viderit²⁾.

¹⁾ Si quis utrumque, quod ab Athenaeo de Phylarchi patria traditur, inter se conciliare vult, difficultatem ita solvere potest, ut ponat Phylarchum Athenis esse natum, sed infantem vel puerulum tenerrimum Naucraticum cum parentibus migrasse. Attamen ne tum quidem illud de colonis Lemniis iudicium Phylarchus tulisset. Ceterum vix credo fore, ut iste difficultatis solvendae modus multis viris doctis persuadeat.

Qui Athenaei testimonium utique inter se conciliare studet, alterum modum habet, quo id assequatur, ita scilicet, ut Phylarchum Athenas post historias suas absolutas extremis vitae annis migravisse statuatur. Sed homo Lacedaemoniis favens, qui praeterea de civibus Atheniensibus iudicium protulerat tam acerbum, hospes fuisset Athenis minime gratus.

²⁾ Φύλαρχος ἐν τῇ δωδεκάτῃ ὑπὲρ τῶν Αἰγυπτίων ἀσπίδων ἄδει τοιαῦτα τιμᾶσθαι φησιν αὐτὰς ἰσχυρῶς καὶ ἐκ ταύτης γε τῆς τιμῆς ἡμερωτάτας τε καὶ χειροθήσεις γίνεσθαι τὰς ἐκ τῆς τροφῆς πεπωλευμένας τοῖς παιδίοις οὖν συντρεφομένας μηδὲν ἀδικεῖν καὶ καλουμένας δὲ ἐξέρπειν τῶν φωλεῶν καὶ ἀφικνεῖσθαι κλησὶς δὲ αὐτῶν ὁ τῶν δακτύλων ἐστὶ κρότος. Προτείνουσι δὲ ἄρα οἱ Αἰγύπτιοι καὶ ξένια αὐταῖς ἐπὶ γὰρ ἀπὸ δείπνου γένωνται, ἄλφιτα οἶνω καὶ μέλιτι ἀναδέυσαντες κατὰ τῆς τραπέζης τιθέασιν, ἐφ' ἧς ἔτυχον δεδειπνηκότες· εἶτα μέντοι κροτήσαντες οἷονεὶ δαιτυμόνας καλοῦσι καὶ ἐκεῖναι ὡσπεροῦν ὑπὸ συνθήματι παραγίνονται καὶ ἄλλῃ, ἀλλαχόθεν ἐξέρπει καὶ περιστᾶσαι τὴν τράπεζαν τὴν μὲν λοιπὴν σπεῖραν ἐῷσι κατὰ τοῦ δαπέδου, ἄρασαι δὲ τὴν κεφαλὴν περιλιχμῶνται καὶ ἡσυχῇ καὶ κατ' ὀλίγον ἐμπίπλυνται τῶν ἀλφίτων καὶ καταναλίσκουσιν αὐτά. Νύκτωρ δὲ εἰς ἐπίγῃ τι τοὺς Αἰγυπτίους, κροτοῦσι πάλιν· ὑποσημαίνει δὲ ἄρα ὅδε ὁ ψόφος ἐξίστασθαι τε

Quomodo Athenaeus adductus sit, ut Phylarchum Atheniensem esse poneret, deperditis et Athenaei auctoribus et ipso Phylarchi opere diiudicare non possumus. Quod vero Athenaeus de patria civis sui omnino dubitationem habere potuit, nemo mirabitur, qui inter Athenaeum et Phylarchum quattuor fere saeculorum intervallum exstare reputaverit.

Cum Phylarchi liber Athenis conscriptus esse nequeat, iudicium vero, quod apud Phylarchum de Ptolemaeo Philadelpho legitur, librum in Aegypto nullo modo ortum esse posse demonstret, in alia quadam terra eum confectum esse necessario est ponendum.

αὐτὰς καὶ ἀναχωρεῖν οὐχοῦν συνιᾶσι καὶ ἐκεῖναι τὴν τοῦ κτύπου διαφορὰν καὶ ἐφ' ὅτῳ τοῦτο δρᾶται καὶ παραχρῆμα ἀναστέλλονται καὶ ἀφανίζονται εἰς τοὺς χηραμοὺς τε καὶ φωλεοὺς ἔρπουσαι· ὁ γοῦν ἀνιστάμενος οὔτε ἐμβαίνει τινὶ αὐτῶν οὔτε περιπίπτει.



M 5429